



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CLXXXVI. Eid eines Bewerbers um die Dompropstei aus der Zeit Rudolphs von Sachsen, 1323 ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

Tremmene et Czachowe damus et donamus, dedimus et donavimus perpetuo pacifice possidendam. — Testes hujus rei sunt dominus Nicolaus prepositus in Bernowe, Hinricus Schenke de Schenckendorph, Hermannus de Nebedde, Conradus Vogelsak, Hince de Warmstorph, Hermannus de Wefenik milites nostri, Hinricus Mosolf, Ebele de Blankenburch, famuli nostri et quam plures alii fide digni. Datum Nawen, anno domini millesimo tricentesimo vicesimo tertio, quarte feria ante Symonis et Jude.

Nach dem Originale.

CLXXXVI. Eid eines Bewerbers um die Dompropstei aus der Zeit Rudolpfs von Sachsen, 1323?

Ego N. juro, quod literas supplicatorias vel promotorias super prepositura Brandenburgensi impetranda apud dominum Rudolphum, ducem Saxonie aut quemcumque alium nomine mei vel cujuscunque alterius non procuravi vel procurari laboravi consilio, auxilio vel opere nec scio vera scientia ipsum procurantem vel procurari laborantem eandem, sed dum primo eum scivero, occulte vel manifeste in capitulo ipsum nominabo. Sic me deus adjuvet et ejus sancta evangelia.

Nach einer Copie im alten Copiare.

CLXXXVII. Der Markgraf Ludwig d. ä. bestätigt das Domcapitel, am 5. März 1324.

Ludovicus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie marchio etc. ad nostras aures quernlosa voce lamentabiliter pervenit, qualiter ecclesia Brandenburgensis multorum imperatorum muneribus, beneficiis et libertatibus tunc dotata, nunc multis, qui eam potius defensarent, multa proch dolor incommoda, vexationes, inquietationes sustinet, et alii rapinis et incendiis eam vastant, et, quod deterius est, ipsam et ipsius subditos et eorum bona invadendo et impignorando ac alias in eorum libertate perturbant. Nos igitur eam et ejus subditos et eorum bona in nostra defensione suscipimus, volentes eam, eos et eorum bona, per nos, heredes et successores nostros ac nostrorum heredum et successorum nostrorum officiatos quoscunque et subditos tueri et defendi (sic) et speciali libertate gaudere in nostre, heredum et successorum nostrorum animarum remedium sempiternum. Eidem ecclesie, ejus personis et subditis plenariam libertatem tenore presentium damus et sollempni donatione donamus et appropriamus, quod nec deinceps nostri, heredum et successorum nostrorum capitanei, advocati, bedelli, venatores, nuntii, subditi nec quisquam cujuscunque conditionis vel status extiterit, nostri, heredum et successorum nostrorum nec aliquo predictorum nomine in prefata ecclesia nec in ejus personis, iudiciis spiritualibus et temporalibus, juribus, consuetudinibus, villis, vassallis, hominibus, subditis nec eorum rebus et bonis hospitando, exactionando, impignorando nec pretextu cujuslibet occasionis debiti, petitionis, contributionis, nec quibuscunque angariis, perangariis, precariis, servitiis, preceptis nec mandatis se intromittant nec hujusmodi in suis munitionibus pignora venire permittant nec intra nec extra recepiant aliquomodo, nec dictam ecclesiam, ejus personas, judicia, jura spiritualia et temporalia, consuetudines, villas, vassallos, homines, subditos nec eorum bona vastent, vexent, inquietent, molestant, perturbent, prejudicent nec dampnificent ullomodo. Et si quis predictorum cujuscunque conditionis vel status extiterit